

tinet, quos appellavit filios hominum; cum supra dixisset: *Homines et tumenta salvos facies, Domine*. Quid enim? Illi homines non erant filii hominum, ut cum dixisset *homines*, sequeretur et diceret: *Filii autem hominum*; quasi aliud erant homines, et aliud filii hominum? Non tamen arbitror sine aliqua significatione distinctionis hoc dixisse Spiritum sanctum. Homines ad primum Adam, filii hominum ad Christum. Forte enim homines pertinent ad primum hominem: filii autem hominum pertinent ad Filium hominis.

2189 *Unum opus feci, et omnes miramini*. Et continuo subiungit: *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem*. Bene factum est ut acciperetis circumcisionem a Moysese. *Non quia ex Moysese est, sed ex patribus*. Abraham quippe primus accepit circumcisionem a Domino (GEN. XVII, 10). *Et in sabbato circumciditis*. Convicit vos Moyses. In lege accepistis ut circumcidatis octavo die: accepistis in lege ut vacetis septimo die: si octavus dies illius qui natus est occurrat ad diem septimum sabbati, quid facietis? Vacabitis ut servetis sabbatum, an circumcidetis ut impletis sacramentum diei octavi? Sed novi, inquit, quid faciatis. *Circumciditis hominem*. Quare? Quia circumcisio pertinet ad aliquod signaculum salutis, et non debent homines sabbato vacare a salute. Ergo nec mihi irascimini, quia saltem feci totum hominem sabbato: si circumcisionem, inquit, accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi (aliquid enim per Moysen in illa constitutione circumcisionis salubriter institutum est), mihi operanti salutem in sabbato quare indignamini?

2190 Forte enim illa circumcisio ipsum Dominum significabat, cui isti curant et sananti indignabantur. Iussa est enim adhiberi octavo die circumcisio (LEVIT.

XII, 3): et quid est circumcisio, nisi carnis expoliatio? Significat ergo ista circumcisio expoliationem a corde cupiditatum carnalium. Non ergo sine causa data est et in eo membro iussa fieri: quoniam per illud membrum procreatur creatura mortalium. Et per unum hominem mors, sicut per unum hominem resurrectio mortuorum (I COR. XV, 21): et per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors (ROM. V, 12). Ideo quisque cum praepitio nascitur: quia omnis homo cum vitio propaginis nascitur: et non mundat Deus sive a vitio cum quo nascimur, sive a vitiis quae male vivendo addimus, nisi per cultellum petrinum, Dominum Christum. *Petra enim erat Christus* (I COR. X, 4). Cultellis enim petrinis circumcidebant, sed petrae nomine Christum figurabant: et praesentem non agnoscebant, sed insuper eum occidere cupiebant. Quare autem octavo die, nisi quia post septimum sabbati Dominus die dominico resurrexit? Ergo resurrectio Christi, quae facta est tertio quidem die passionis, sed octavo die in diebus hebdomadis, ipsa nos circumcidit. Audi circumcisos vera petra, Apostolo admonente: *Si ergo resurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram* (COLOSS. III, 1, 2). Circumcisos loquitur. Resurrexit Christus, abstulit vobis desideria carnalia, abstulit concupiscentias malas, abstulit superfluum cum quo nati eratis, et multo peius quod male vivendo addideratis: circumcisi per petram quare adhuc sapitis terram? Et ad extremum quia legem dedit Moyses, et circumciditis hominem sabbato, intelligite hoc significari opus bonum, quod ego feci totum hominem salvum sabbato: quia et curatus est ut sanus esset in cor-

pore, et credidit ut sanus esset in anima.

2191 *Nolite iudicare personaliter, sed rectum iudicium indicate* (IOANN. VII, 24). Quid est hoc? Modo cui per legem Moysi circumciditis sabbato, non irascimini Moysi; et quia ego die sabbati salvum feci hominem, irascimini mihi. Personaliter iudicatis, veritatem attendite. Ego non me praefero Moysi, ait Dominus, qui erat et ipsius Moysi Dominus. Sic attendite quomodo homines nos duos, tamquam ambos homines: iudicate inter nos, sed verum iudicium indicate; nolite me honorato illum damnare, sed illo intellecto me honorate. Hoc enim eis alio loco dixit: *Si crederetis Moysi, crederetis utique et mihi; de me enim ille scripsit* (IOANN. V, 46). Sed hoc loco noluit hoc dicere, tamquam se et Moysese ante illos constituitis. Propter legem Moysi circumciditis, quando etiam sabbatum occurrerit: et ego sanitarum faciendarum beneficentiam non vultis ut exhibeam per sabbatum? Quia Dominus circumcisionis et Dominus sabbati salutis est actor: et servilia opera prohibiti estis facere sabbato; si vere intelligatis servilia opera, non peccatis. *Qui enim facit peccatum, servus est peccati* (Ibid. VIII, 34). Numquid servile opus est, hominem sanare per sabbatum? Manducatis et bibitis, (ut aliquid dicam ex admonitione Domini nostri Iesu Christi et ex verbis eius), utique quare manducatis et bibitis in sabbato, nisi quia pertinet ad salutem quod facitis? Per hoc ostenditis opera salutis non esse ullo modo die sabbati omittenda. Ergo *Nolite personaliter iudicare, sed rectum iudicium indicate*. Attendite me quomodo hominem, attendite Moysen quomodo hominem: si secundum veritatem iudicetis, neque Moysen, neque me condemnabitis: et veritate cognita me co-

gnoscetis, quia ego sum veritas (Ibid. XIV, 6).

Hoc vitium, fratres, quod Dominus notavit hoc loco, evadere in hoc saeculo magni laboris est, non personaliter iudicare, sed rectum iudicium retinere. Admonuit quidem Dominus iudaeos, sed monuit et nos; illos convicit, nos instruxit: illos redarguit, nos exacuit. Non putemus hoc nobiscum non ideo dictum, quia tunc ibi non fuimus. Scriptum est, legitur, cum recitaretur audivimus, sed tamquam iudaeis dictum audivimus: non nos ponamus post nos, et quasi intueamur inimicos reprehendere, et ipsi nos faciamus quod in nobis Veritas ipsa reprehendat. Iudaei quidem personaliter iudicabant, sed ideo non pertinent ad novum Testamentum, ideo non habent in Christo regnum coelorum, ideo non iunguntur sanctorum societati angelorum: terrena quaerebant a Domino: terra enim promissionis, victoria ab inimicis, securitas pariendi, multiplicatio filiorum, abundantia fructuum. Quae illis omnia a Deo quidem vero et bono, tamen ut carnalibus promissa sunt, omnia haec fecerunt illis vetus Testamentum. Quid est vetus Testamentum? quasi haereditas pertinens ad hominem veterem. Nos innovati sumus, homo novus facti sumus; quia et ille homo novus venit. Quid tam novum quam nasci de Virgine? Quia ergo non erat quid in illo innovaret praeceptum, quia nullum habebat peccatum, novus partus est datus. In illo partus novus, in nobis homo novus. Quid est homo novus? a vetustate innovatus. Ad quam rem innovatus? ad desideranda coelestia, ad concupiscenda sempiterna, ad patriam, quae sursum est et hostem non timet, desiderandam, ubi non perdimus amicum, non timemus inimicum; ubi vivimus

cum bono affectu, sine ullo defectu; ubi nemo nascitur, quia nemo moritur; ubi nemo iam proficit, et nemo deficit; ubi non esuritur, et non sititur, sed satietas est immortalitas, et cibus veritas. Haec habentes promissa, et ad novum Testamentum pertinentes, et novae haereditatis facti haeredes, et ipsius Domini cohaeredes, aliam spem valde habemus: non personaliter iudicemus, sed rectum iudicium teneamus.

2193 Quis est qui non iudicat personaliter? qui diligit aequaliter. Dilectio aequalis facit non acceptari personas. Non cum homines diverso modo pro suis gradibus honoramus, tunc timendum est ne personas accipiamus. Sed quando inter duos iudicamus, et aliquando inter necessarios, fit nonnumquam iudicium inter patrem et filium; quaeritur pater de malo filio, aut quaeritur filius de duro patre; servamus honorificentiam patri, quae debetur a filio: non aequamus filium patri in honore; sed praeponimus, si bonam causam habet: filium aequamus patri in veritate; et sic tribuemus honorem debitum, ut non perdat acquiritas meritum. Ita verbis Domini proficimus, et ut proficiamus gratia illius adiuvamur.

2194 Meminit Charitas vestra pristinis sermonibus et lectum esse in Evangelio, et a nobis ut potuimus disputatum, quod Dominus Iesus ideo velut occulte ascendit ad diem festum, non quia timebat ne teneretur, cuius potestas erat ne teneretur; sed ut significaret etiam in ipso die festo, qui celebrabatur a iudaeis, se occultari et suum esse mysterium. Hodierna ergo lectione apparuit potestas, quae putabatur timiditas: loquebatur enim palam in die festo, ita ut mirarentur turbae, et dicerent quod audivimus, cum lectio legeretur: *Nomme hic est quem quaerebant interficere? Et*

*ecce palam loquitur, et nihil illi dicunt: nunquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus?* (IOANN. VII, 25, 26). Qui noverant qua saevitia quaerebatur, mirabantur qua potentia non tenebatur. Deinde non plene intelligentes illius potentiam, putaverunt principium esse scientiam, quod ipsi cognoverant eundem esse Christum: ideo pepererunt ei, quem tantopere occidendum quaesierunt.

Deinde illi ipsi apud se ipsos, qui 2195 dixerant: *Nunquid cognoverunt principes quia hic est Christus?* fecerunt sibi quaestionem, qua eis videretur non ipse esse Christus: adiungentes enim dixerunt: *Sed istum novimus unde sit; Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.* Haec opinio apud iudaeos unde nata fuerit, quod *Christus cum venerit, nemo scit unde sit* (non enim inaniter nata est); si consideremus Scripturas, invenimus, fratres, quoniam sanctae Scripturae dixerunt de Christo, *quoniam Nazaraeus vocabitur* (MATTH. II, 23). Ergo praedixerunt unde sit. Rursus si locum nativitatis eius quaeramus, tamquam inde sit ubi natus est; nec hoc latebat iudaeos propter Scripturas, quae ista praedixerant. Nam cum eum visa stella magi quaererent adorare, venerunt ad Herodem, et dixerunt quid quaererent et quid vellent (Ibid. 2): ille autem convocatis eis, qui legem sciebant, quaesivit ab eis ubi Christus nasceretur: illi dixerunt, in Bethleem Iudae; et testimonium etiam prophetarum protulerunt. Si ergo propheticae praedixerant et locum unde erant origo carnis eius, et locum ubi eum peperit mater eius (MICH. V, 2); unde nata est ista opinio apud iudaeos, quam modo audivimus: *Christus cum venerit, nemo scit unde sit*, nisi quia utrumque praedixerant et praenunciaverant Scripturae? Secundum hominem praedixerant Scri-

pturae unde esset; secundum Deum latebat impios, et quaerebat pios. Ad hoc enim et isti dixerunt: *Christus cum venerit, nemo scit unde sit*: quia hanc illis opinionem generaverat quod per Isaiam dictum est: *Generationem autem eius quis enarrabit?* (Is. LIII, 8). Denique et ipse Dominus ad utrumque respondit, et quia noverant eum unde esset, et quia non noverant: ut attestaretur prophetae sanctae, quae de illo ante praedicta est, et secundum humanitatem infirmitatis, et secundum divinitatem maiestatis.

2196 Audite ergo Verbum Domini, fratres, videte quemadmodum confirmavit eis et quod dixerunt: *Istum novimus unde sit; et quod dixerunt: Christus cum venerit, nemo scit unde sit.* Clamabat ergo docens in templo Iesus: *Et me scitis, et unde sim scitis; et a me ipso non veni, sed est verus qui me misit, quem vos nescitis* (IOANN. VII, 28). Hoc est dicere: Et me scitis et me nescitis; hoc est dicere: Et unde sim scitis et unde sim nescitis. Unde sim scitis, Iesus a Nazareth, cuius etiam parentes nostis. Solus enim in hac causa latebat virginis partus, cui tamen testis erat maritus: ipse enim hoc poterat fideliter indicare, qui posset maritaliter et zelare. Hoc ergo excepto virginis partu, totum noverant in Iesu, quod ad hominem pertinet: facies ipsius nota erat, patria ipsius nota erat, genus ipsius notum erat, ubi natus est sciebatur. Recte ergo dixit: *Et me nostis et unde sim scitis*, secundum carnem et effigiem hominis, quam gerebat: secundum autem divinitatem *et a me ipso non veni, sed est verus qui me misit, quem vos nescitis*; sed ut cum sciatis, credite in eum quem misit, et sciatis. *Deum enim nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse narravit; et Patrem non cognoscit nisi Filius, et*

*cui voluerit Filius revelare* (MATTH. XI, 27).

Denique cum dixisset: *Sed est verus qui misit me, quem vos nescitis*; ut ostenderet eis unde possent scire quod nesciebant, subiicit: *Ego scio eum* (IOANN. VII, 29). Ergo a me quaerite, ut sciatis eum. Quare autem scio eum? *Quia ab ipso sum, et ipse me misit.* Magnifice utrumque monstravit. *Ab ipso*, inquit, *sum*; quia Filius de Patre, et quidquid est Filius, de illo est cuius est Filius. Ideo Dominum Iesum dicimus Deum de Deo; Patrem non dicimus Deum de Deo, sed tantum Deum: et dicimus Dominum Iesum lumen de lumine; Patrem non dicimus lumen de lumine, sed tantum lumen. Ad hoc ergo pertinet, quod dixit: *Ab ipso sum.* Quod autem videtis me in carne, *ipse me misit.* Ubi audis *ipse me misit*, noli intelligere naturae dissimilitudinem, sed generantis auctoritatem.

2198 *Quaerebant ergo eum apprehendere, et nemo misit in illorum manus, quia nondum venerat hora eius* (Ibid. 30): hoc est, quia nolebat. Quid est enim, *nondum venerat hora eius?* Non enim Dominus sub fato natus est. Hoc nec de te credendum est, nedum de illo, per quem factus es. Si tua hora voluntas est illius, illius hora quae est nisi voluntas sua? Non ergo horam dixit, qua cogere mori, sed qua dignaretur occidi. Tempus enim expectabat quo moreretur, quia et tempus expectavit quo nasceretur. De hoc tempore Apostolus loquens ait: *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* (GALAT. IV, 4). Ideo multi dicunt: Quare non ante venit Christus? Quibus respondendum est, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderate illo per quem facta sunt tempora: sciebant enim quando venire deberet. Primo per multam seriem temporum et

annorum praedicendus fuit; non enim aliquid parvum venturum fuit: diu fuerat praedicendus, semper tenendus. Quanto maior iudex veniebat, tanto praecognum longior series praecedebat. Denique ubi venit plenitudo temporis, venit et ille qui nos liberaret a tempore; liberati enim a tempore, venturi sumus ad aeternitatem illam, ubi non est tempus; nec dicitur ibi: Quando veniet hora; dies est enim sempiternus; qui nec praeceditur hesterno, nec excluditur crastino. In hoc autem saeculo volvuntur dies, et alii transeunt, et alii veniunt, nullus manet; et momenta quibus loquimur, invicem se expellunt, nec stat prima syllaba, ut sonare possit secunda. Ex quo loquimur aliquantum senimus, et sine ulla dubitatione senior sum modo quam mane: ita nihil stat, nihil fixum manet in tempore. Amare itaque debemus per quem facta sunt tempora, ut liberemur a tempore, et figamur in aeternitate, ubi iam nulla est mutabilitas temporum. Magna igitur misericordia Domini nostri Iesu Christi, factum esse eum propter nos in tempore, per quem facta sunt tempora; factum esse inter omnia, per quem facta sunt omnia: factum esse quod fecit. Factus est enim quod fecerat; factus est enim homo qui hominem fecerat, ne periret quod fecerat. Secundum hanc dispensationem iam venerat hora nativitatis, et natus erat: sed nondum venerat hora passionis, ideo nondum passus erat.

2199 Denique ut noveritis non necessitatem, sed potestatem morientis: propter nonnullos hoc loquor, qui cum audierint, *nondum venit hora eius*, aedificentur ad credenda fata, et fiunt corda eorum fatua: ut ergo noveritis potestatem morientis, ipsam passionem recolite, crucifixum intuemini. Dixit in ligno pendens: *Sitio*. Illi hoc audito in arundine per spongiam

obtulerunt ei acetum in cruce: accepit et ait: *Perfectum est: at inclinato capite reddidit spiritum* (IOANN. XIX, 28 ss.). Videtis potestatem morientis, quia hoc expectabat, donec omnia completerentur, quae de illo praedicta fuerant ante mortem futura. Dixerat enim Propheta: *Deriderunt in escam meam fel, et in sili meo potaverunt me aceto* (PSAL. LXVIII, 22). Expectabat ut haec omnia completerentur: postea quam completa sunt, dixit: *Perfectum est: et abscessit potestatem*, quia non venerat necessitate. Idco quidam plus mirati sunt istam potestatem morientis, quam potentiam miracula facientis. Ventum est enim ad crucem, ut corpora deponerentur de ligno, quoniam sabbatum illucescebat: et inventi sunt latrones viventes. Supplicium quippe crucis ideo durius erat, quia diutius cruciabat, et omnes crucifixi longa morte necabantur. Illi autem, ne remaneret in ligno, cruribus fractis coacti sunt mori, ut possent inde deponi. Dominus autem inventus est mortuus, et admirati sunt homines: et qui eum vivum contempserunt, mortuum sic admirati sunt, ut dicerent quidam: *Vere Filius Dei est hic* (MATTH. XXVII, 54). Unde est et illud, fratres, ubi ait quaerentibus se: *Ego sum*: et illi retro redeuntes omnes ceciderunt (IOANN. XVIII, 6). Erat ergo in illo potestas summa. Nec hora cogebatur mori, sed horam expectabat, qua opportune feret voluntas, non qua in viti impleteret necessitas.

2200 De turba autem multi crediderunt in eum (Ibid. vii, 31.). Humiles et pauperes salvos faciebat Dominus. Principes insaniebant: et ideo medicum non solum non agnoscebant, sed etiam occidere cupiebant. Erat quaedam turba, quae suam aegritudinem cito vidit, et illius medicinam sine dilatione cognovit. Videte quid sibi dixerit turba ipsa commota miracu-

lis: *Numquid Christus cum venerit, plura signa facturus est?* Utique si duo non erunt, hic est. Crediderunt ergo in eum dicentes ista.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENENSI, VOL. II, SERM. 56.)

2201 TERTIO insuper ait: *Humiliatus sum nimis, propter causam formalem*. Ad intelligendum insuper stupendam abyssum humilitatis Passionis Christi, contemplerur mortis eius causam formalem; et apparet etiam abyssum humilitatis, et vilitatis ex septem alia ratione. Primo propter derisionem; secundo propter afflictionem, et flagellationem; tertio propter coronationem; quarto propter nudationem; quinto propter crucifixionem; sexto propter blasphemationem; septimo propter confu-

2202 sionem. Primo propter derisionem; unde quanto est persona sublimior in septem gratis, seu dignitatibus, de quibus dictum est in articulo praecedenti, scilicet, in natura, in forma, in gratia, in sapientia, in fama, in sequela, et in gloria; tanto derisio sibi facta vituperabilior est. Sed Christus, sicut supradictum est, habuit omnia praedicta super omnes creaturas alias; quare derisiones eius graviores fuerunt, quam posset humana lingua enarrare, aut mens aliquo cogitare.

2203 Expergiscere, anima devota, et considera quod ille qui est summa reverentia Angelorum, propter nos factus est ludibrium impii, et quasi pila derisionis eorum; quia de ipso mutuo colludebant mittentes ad alterutrum confusionem repletam. Nam Annas misit illum ad Caipham, Caipham ad Pilatum, Pilatum ad Herodem, et Herodes remisit eum Pilato, et semper in supradictis locis, atque in eorum itineribus derisus est; unde Propheta in persona Domini ait, Psal. XXI: *Omnes videntes me, deriserunt me*.

2204 Atque de triplici derisione immediate subiungit. Prima fuit verborum; secunda signorum; tertia sermonum ironiconum. Prima fuit verborum; unde dicit: *Locuti sunt labiis, id est, inconsiderate, scilicet, falsa imponendo, et falsa promittendo, unde Matth. XXVII, dicebant: Alios salvos facit, seipsum non potest salvum facere*; ecce falsa impositio: *Si Rex Israel es, descende de cruce, et credimus*; ecce falsa promissio; quod exponens Ambrosius ait: O stulte, et caece grex sacerdotum, numquid impossibile est ei de parvo ligni stipe descendere, qui descendit de alta coelorum sublimitate? numquid tua vincula possent illum tenere, quem coeli non possunt capere? non venit, inquam, ut se libera-

ret, quia sub servitute non erat; sed ut nos de servitute redimeret.

2205 Secunda derisio fuit signorum, unde Psal. subdit: *Et moverunt caput*; unde Matth. XXVII: *Praeterrantes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, dicentes: Vah, qui destruxit templum Dei, et in triduo reaedificas illum*.

2206 Tertia derisio fuit sermonum ironiconum qui sunt quando bona improperantur; et de hac Propheta subdit: *Speravit*, scilicet, Christus, in Domino, videlicet, Deo Patre: *eripiat eum*, scilicet, de manibus nostris, *salvum faciat eum*, scilicet, resuscitando illum: *quoniam vult eum, ut ipse dicit*. Et iterum, Matth. ubi supra: *Confidit in Deum, liberet eum, inquit si vult*. Dicit enim *quoniam Filius Dei sum*. Haec quidem derisio praefigurata est Gen. ix, in derisione Noe. Noe siquidem Christus est; vinea Iudaei; inebriatio passio; obdormitio mors; denudatio humanitatis ostensio; Sem, et Iaphet duo populi, Iudaei, scilicet, et Gentiles; vestimentum est Sacramentum; maledictio Cham Iudaei proditio; eius irrisio. Iudaeorum derisio fuit; unde Luc. XXII, et Matth. XXVI, dicitur, quod coram Anna, et Caipha *relativerunt faciem eius, et colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis es qui te percussit?*

2207 In quo diligenter tria adverte. Primo quod velantur oculi eius contra peccatum quod in visu commisit Eva; secundo quod colaphis ceciderunt eum propter peccatum gulae, in quo Eva offendit. De his duobus Propheta in persona Domini ait Psal. LXVIII: *Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei iniuste, quae non rapui, hunc exsolvabant*; tertio quoque palmas in faciem eius dederunt, scilicet, dicentes, tamquam divinatori: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?*

2208 Secundo propter flagellationem seu afflictionem. Quanto enim quis est sublimior in septem gratis antedictis, tanto flagellatio, et afflictio sibi illata opprobriosis est; dictum est enim supra quod illas habuit in sublimi.

2209 Sed audi afflictionem omnium membrorum corporis sui. Nam pedes eius discaleati et nudi, quomodo per totam partem noctis, et per magnam partem diei huc et illic ab eis furore ebrioso ducebantur; pie credendum est quod saepius eum in lapides impingebant, effundebant per viam sanguinem sacrum; vilialia membra, ac respirantia, sicut cor et pectoris concavum, et similia, dire fuerunt afflicta intimatorum, et multorum suspiriorum, et gemituum assumptione; crura, costae, et corporis latera atque dorsum, et universaliter alia membra in dura flagellatione afflicta fuerunt: in qua superficies carnis sua tenerae et delicatae fuit cru-

deliter lacerata, et sanguine cruentata, et brachia ultra hoc dure fuerunt ligata atque constricta, et hinc inde, ante et retro contumeliose rotata tam in horto, quam in domo Annae, Caiphae, Pilati et Herodis; ab omnibus enim praedictis locis ligatus deductus fuit; humeri eius afflicti fuerunt duro onere crucis; et tunc maxime credo collium afflictum fuisse chamo in eo posito, per quem ad maiorem contumeliam traheretur; hos quoque afflictum fuit tam foetido osculo proditoris, fellis et acetii amaro potu; nares afflictas fuerunt horribili foetore sputorum abominabilium Iudaeorum, et foetore cadaverum mortuorum qui in loco Calvariae in cruce appensus est; sed et facies illa in qua Angelus desiderabant prospicere, deturpata fuit impiorum sputis; genae quoque afflictas fuerunt et tumefactae, ac sanguine et livore conspersae tum percussioibus faciei, tum etiam ex corona spinica per quam sanguis per eius faciem delibebat; oculi etiam fuerunt afflicti, confusi, atque velati, fleu cliquati, et in aspectu terribili inimicorum suorum ignem furoris, et iracundiae spirantium mirabiliter cruciati; necnon, quia videbant Matrem et Discipulum quem diligebat Iesus, fientes et cruciatus: aures eius repletas fuerunt opprobriis; vertex capitis afflictus fuit durissimis spinis, scilicet, percussioibus arundinis, maxime flagellatus fuit in capite tanquam superbus, in facie tanquam ribaldus, in collo tanquam stultus.

2210 Proinde Propheta ait in persona Domini, Psal. LXXXI: *Fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis*; et Is. I: *Corpus meum dedi percussioibus, et genas meas vellentibus*. Sicut enim unum membrum patitur cauterium ad alterius curationem; nam brachium minuitur ad corporis sanationem; sic etiam Christus vulneratus est propter iniquitatum nostrarum sanationem; unde Is. LIII dicitur: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, atritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus: omnes nos quasi oves erravimus. Unusquisque in viam suam declinavit, et Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum*; id est, poenam satisfactivam pro omnibus peccatis nostris; unde Levit. XIII mystice est Christus designatus per hircum in desertum peccata populi deferentem. Haec omnia quanto facta fuerunt homini sublimiori, maxime in septem gratis, de quibus dictum est, tanto maioris opprobrii existerunt.

2211 Tertio propter coronationem, quasi rex esset stultorum et iniquorum. Sicut enim dicitur Matth. XXVII: *Pilatus sciens quod propter invidiam tradidissent illum, voluit eum pluries liberare*; quod quidem diversis modis temptavit. Primo allegatione suae

innocentiae, dicens: *Ego nullam causam mortis invenio in eo*. Videns autem quod haec causa iudicis ad iram amplius provocasset, accepit secundam liberationis viam, scilicet, mutationem fori, transmittendo eum ad Herodem tanquam Gallileum, et sibi propria dominatione subiectum credens quod Herodes non iudicaret, sed liberaret: subditum suum. Quumque nec sic proficisset, tertiam compulsus est invenire viam, scilicet, satiare Iudaeorum impietatem contumelias, et supplicis super Dominum irrogatis, ut sic opprobriis eius saturati mortem eius amplius non sitirent; unde credendum est quod quanto vilius et contumeliosius potuit, Iesum coram impiorum oculis praesentare disposuit, scilicet, nudatum propriis vestibus, cruentatum et lividum flagellorum ictibus, sola purpura in derisionem amictum, spinis coronatum, vultu velatum, sputis deturpatum, genis et tota facie ictibus alaparum tumidum; et sic in conspectu populi apparuit vilissime derisus et vituperatus. Et quia allegaverunt quod dicebat se Dei Filium, producens eum sic viliter coram populo, portabat spinicam coronam, et purpureum vestimentum, in derisionem Iesu, dicit: *Ecco homo*, quasi dicat: *Iste non habet divinitatis insignia; sed ipsum esse hominem despectum, et vilicatum, atque doloribus plenum, in vestris oculis manifestant illa ludibria*. Nec propter hoc satius est diabolicus furor illorum hominum impiorum, sed magis insanientes clamabant dicentes: *Tolle, tolle, crucifige eum*. Quumque in fine et in secunda allegatione dicit Pilatus: *Ecce Rex vester*, vere prolatum est hoc verbum; nam omnium opprobriorum, et omnium despectuum, et abominabilium vitae praesentis portavit coronam; et merito dici potuit Rex opprobriorum, et vituperiorum omnium eius vitae.

2212 *Nunc egredimini ergo filias Sion, et videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua*, scilicet, Synagoga. Expergiscere, o anima mea, et audi Bernard, qui in quodam sermone ait: *Caput Angelicis tremebundum spiritibus densitate spinarum pungitur; facies pulchra prae filiis hominum sputis Iudaeorum deturpatur; oculi lucidiores sole caligantur in morte; aures quae audiunt Angelicos cantus, audiunt peccatorum insultus; os quos docet Angelos, felle et acetio potatur; pedes quorum scabellum adoratur, cruci clavo affliguntur; manus quae formaverunt coelos, sunt in cruce extensae, et clavibus affixae; corpus ceditur, et latus lancea perforatur. Et quid plura? non exarsit in eo, nisi lingua, ut pro peccatorum remaneret, et Matrem discipulo commendaret.*

Quarto propter nuditatem; nam in cruce totaliter nudus crucifixus est; unde Ambrosius: *Auctor hu-*

manae salutis sic nudus fuit in patibulo crucis, sicut nudus exivit de utero Mariae virginis?

2214 O quid erat videre corpus iuvenis tam speciosi in tanta deformitate mutatum, et alienatum! Ita ut Is. III dicit: *Non est ei species, neque decor*. Abdias unico cap. stupefactus de aspectu tantae deformitatis ait: *Conturbabitur in eis valde*; et Amos VIII in persona Dei Patris ait: *In die illa occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram*, id est, Carnem sanctissimam Domini nostri Iesu Christi qui de terra erat in die luminis.

2215 Vide ergo quanta inguominia fuit Filium Dei cum septem dignitatibus praedictis videre in cruce ita nudatum coram omni populo ad opprobrii complementum, quo etiam ad operienda pudenda absque velamine aliquo esset, quod nec cuiquam scelerato lex negare solet, unde Iob I in persona Domini ait: *Nudus egressus sum de utero matris meae, et nudus revertar illuc*; unde Psal. XXI, inquit: *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem*; unde Ambrosius in quodam sermone ait: *Auctor pietatis in cruce pendens testamentum condidit; singulis opera pietatis distribuens; Apostolus praecutionem, Iudaeis corpus, Patri Spiritum, Matri paranymphum, latroni paradismum, peccatoribus infernum, et Christianis poenitentibus caecum*. Haec ille. Ecce quod propter nos omnibus se spoliavit, ut nos ditaret.

#### FERIA QUARTA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.  
Ioann. IX, 1-38.

In illo tempore: Praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate:

2 et interrogaverunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes eius, ut caecus nasceretur?

3 Respondit Iesus: Neque hic peccavit, neque parentes eius; sed ut manifestentur opera Dei in illo.

4 Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.

5 Quandiū sum in mundo, lux sum mundi.

6 Haec cum dixisset, expulit in terram, et fecit lutum ex sputo, et lavit lutum super oculos eius.

7 Et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Missus). Abiit ergo, et lavit, et venit videns.

8 Itaque vicini, et qui viderant eum prius quia dementis erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, et mendicabat? Alii dicebant: Quia hic est.

9 Alii aliter sentiunt; et reliquiae ipsae veli quo pendenda cooperta sunt rem confirmant.

10. Alii autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat: Quia ego sum.

11. Dicebant ergo, ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi?

12. Respondit: Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit: et unxit oculos meos, et dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe; et lava. Et abiit, et lavit, et vidit.

13. Et dixerunt ei: Ubi est ille? Ait: Nescio.

14. Adducunt eum ad Pharisaeos, qui caecus fuerat.

15. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus, et aperuit oculos eius.

16. Interrogabant eum Pharisaei quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, et lavi, et vido.

17. Dicebant ergo ex Pharisaeis quidam: Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant: Quomodo potest homo peccator haec signa facere? Et schisma erat inter eos.

18. Dicunt ergo caeco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia propheta est.

19. Non crediderunt ergo Iudaei de illo, quia caecus factus est, et vidisset, donec vocaverunt parentes eius qui viderat:

20. Et interrogaverunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis quia caecus natus est? Quomodo ergo nunc videt?

21. Responderunt eis parentes eius, et dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, et quia caecus natus est:

22. Quomodo autem nunc videt, nescimus: aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate: actatem habet, ipse de se loquatur.

23. Haec dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudaeos: iam enim conspiciantur Iudaei, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.

24. Propterea parentes eius dixerunt: Quia actatem habet, ipsum interrogate.

25. Vocaverunt ergo rursum hominem, qui fuerat caecus, et dixerunt ei: Da gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est.

26. Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: unum scio, quia caecus cum essem, modo vido.

27. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? Quomodo apparuit tibi oculus?

28. Respondit eis: Dixi vobis iam, et audistis: quid iterum vultis audire? numquid et vos vultis discipuli eius fieri?

29. Maledixerunt ergo ei, et dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus.

30. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit.

31. Respondit ille homo, et dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos:

32. scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, et voluntatem eius facit, hunc exaudit.

33. A saeculo non est auditum, quia quis aperuit oculos caeci nati.

34. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quiddam.

35. Responderunt, et dixerunt ei: In peccatis natus es totus, et tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.

36. Audivit Iesus quia eiecerunt eum foras: et cum invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?

36. Respondit ille, et dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum?

37. Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.

38. At ille ait: Credo, Domine. Et procedens adoravit eum.

Homilia S. Augustini Episcopi.

IN IOANN. EVANG. TRACT. 44.

2216 **D**e homine quem Dominus Iesus illuminavit, qui caecus natus fuit, prolixa lectio recitata est: quam si universam pertractare conemur pro sui dignitate, sicut valemus singula considerantes, non sufficit dies. Proinde peto et admoneo Charitatem vestram, ut in iis quae aperta sunt, sermonem nostrum non requiratis: nam nimis longum erit in singulis immorari. Brevis ergo caeci huius illuminati commendando mysterium. Ea quippe, quae fecit Dominus noster Iesus Christus stupenda atque miranda, et opera et verba sunt: opera, quia facta sunt; verba, quia signa sunt. Si ergo quid significet hoc quod factum est cogitemus, genus humanum est iste caecus: haec enim caecitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus, non solum mortis, sed etiam iniquitatis. Si enim caecitas est infidelitas et illuminatio fides, quem fidelem quando venit Christus invenit? Quandoquidem Apostolus natus in gente prophetarum dicit: *Fuimus et nos aliquando natura filii irae, sicut et ceteri* (EPHES. II, 3). Si filii irae, filii vindictae, filii poenae, filii gehennae. Quomodo natura, nisi quia peccante primo homine vitium pro natura inolevit? Si vitium pro natura inolevit, secundum mentem omnis homo caecus natus est. Si enim videt, non opus habet ductore: si opus habet ductore et illuminatore, caecus est ergo a nativitate.

2217 Venit Dominus: quid fecit? Magnum mysterium commendavit. *Exspuit in ter-*

*ram* (IOANN. IX, 6), de saliva sua lutum fecit: quia Verbum caro factum est. Et inunxit oculos caeci. Inunctus erat, et nondum videbat. Misit illum ad piscinam, quae vocatur Siloe. Pertinuit autem ad evangelistam commendare nobis nomen huius piscinae; et ait, *Quod interpretatur Missus* (Ibid. 7). Iam quis sit missus agnoscitis; nisi enim ille fuisse missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus. Lavit ergo oculos in ea piscina, quae interpretatur Missus, baptizatus est in Christo. Si ergo quando eum in se ipso quodammodo baptizavit, tunc illuminavit; quando inunxit, fortasse catechumenum fecit. Potest quidem aliter atque aliter tanti sacramenti exponi profunditas et pertractari: sed hoc sufficiat Charitati vestrae; audistis grande mysterium. Interroga hominem, christianus es? Respondet tibi: Non sum, si paganus est aut iudaeus. Si autem dixerit: Sum; adhuc quaeris ab eo, catechumenus an fidelis? Si responderit, catechumenus: inunctus est, nondum lotus. Sed unde inunctus? Quaere et respondet; quaere ab illo in quem credit: eo ipso quo catechumenus est, dicit, in Christum. Ecce modo loquor et fidelibus et catechumenis. Quid dixi de sputo et luto? Quia Verbum caro factum est. Hoc et catechumeni audiunt: sed non eis sufficit ad quod inuncti sunt: festinent ad lavacrum, si lumen inquirunt.

Iam ergo propter quasdam in hac ipsa lectione quaestiones verba Domini et ipsius universae lectionis percurramus potius quam tractemus. *Exiens vidit hominem caecum: non utrumque caecum, sed a nativitate. Et interrogaverunt eum discipuli eius: Rabbi* (IOANN. IX, I, 2). Scitis Rabbi quia magister est. Magistrum appellabant, quia discere desiderabant: quaestionem quippe Domino proposuerunt tamquam magistro: *Quis pec-*

*cavit, hic, an parentes eius, ut caecus nasceretur? Respondit Iesus: Neque hic peccavit, neque parentes eius, ut caecus nasceretur. Quid est quod dixit? Si nullus homo sine peccato, numquid parentes huius caeci sine peccato erant? Numquid ipse vel sine originali peccato natus erat, vel vivendo nihil addiderat? An quia oculos clausos habebat, concupiscentiae minime vigilabant? Quanta mala committunt caeci! A quo malo abstinet mens mala etiam clausis oculis? Non poterat videre, sed noverat cogitare, et forte concupiscere aliquid, quod caecus non posset implere, sed in corde iudicari a cordis perscrutatore. Si ergo et parentes eius habuerunt peccatum, et iste habuit peccatum; quare Dominus dixit: *Neque hic peccavit, neque parentes eius*, nisi ad rem de qua interrogatus est, *ut caecus nasceretur?* Habebant enim peccatum parentes eius, sed non ipso peccato factum est ut caecus nasceretur. Si ergo non peccato factum est parentum ut caecus nasceretur, quare caecus natus est? Audi magistrum docentem: quaerit credentem ut faciat intelligentem. Ipse causam dicit, quare ille caecus sit natus: *Neque hic peccavit*, inquit, *neque parentes eius: sed ut manifestentur opera Dei in illo.**

2219 Deinde quid sequitur? *Me oportet operari opera eius qui misit me* (Ibid. 4). Ecce est ille missus, in quo faciem lavit caecus. Et videte quid dixerit, *me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est*. Mementote quomodo universam gloriam illi dat de quo est: quia ille habet Filium qui de illo sit, ipse non habet de quo sit. Sed quare dixisti, Domine, *donec dies est*? Audi quare. *Venit nox quando nemo potest operari*. Nec tu, Domine? Itane tantum valebit nox illa, ut nec tu possis in ea operari cuius opus nox est? Puto enim, Domine

Iesu, imo non puto, sed credo atque confirmo te ibi fuisse, quando dixit Deus: *Fiat lux, et facta est lux* (GEN. I, 3). Si enim Verbo fecit, per te fecit; et ideo dictum est: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (IOANN. I, 3). *Divisit Deus inter lucem et tenebras: lucem vocavit diem, et tenebras vocavit noctem* (GEN. I, 4, 5).

2220 Quae est illa nox, quae cum venerit, nemo poterit operari? Audi quid sit dies et tunc intelliges quae sit nox. Unde sumus audituri quisnam sit dies iste? Ipse dicat. *Quamdiu in hoc mundo sum, lux sum mundi* (Ibid. ix, 5). Ecce ipse est dies. Lavet oculos caecus in die, ut videat diem. *Quamdiu*, inquit, *in mundo sum, lux sum mundi*. Ergo nescio quae nox erit, quando ibi Christus non erit, ideo nemo poterit operari. Restat inquirere, fratres mei, patienter accipite inquirentem me: vobiscum quaero, vobiscum inveniam a quo quaero. Constat, expressum ac definitum est, diem commemorasse, Dominum hoc loco se ipsum, id est lumen mundi: *Quamdiu*, inquit, *sum in hoc mundo, lux sum mundi*. Ergo ipse operatur. *Quamdiu* est autem in hoc mundo? Putamus cum, fratres, fuisse hic tunc, et modo non hic esse? Si ergo hoc putamus, iam ergo post ascensum Domini facta est nox ista, unde apostoli tanta operati sunt? Numquid ista nox erat, quando Spiritus sanctus veniens, et omnes qui in uno loco erant adimplens, dedit eis loqui omnium gentium linguis? (ACT. II, 1-6). Numquid nox erat quando claudus ille ad verbum Petri salvus effectus est, imo ad verbum Domini habitantis in Petro? (Ibid. II, 6-8). Numquid nox erat, quando transeuntibus discipulis aegri cum lectulis ponebantur, ut vel umbra transeuntium tangerentur?

(ACT. V, 15). Dominus autem cum hic esset, neminem transiens umbra sua saluum fecit: sed ipse discipulis dixerat: *Maiora horum facietis* (IOANN. XIV, 12). Dixerat quidem Dominus: *Maiora horum facietis*: sed non se extollat caro et sanguis, audiat dicentem: *Sine me nihil potestis facere* (Ibid. XV, 5).

2221 Quid igitur? Quid dicemus de nocte ista? Quando erit, quando nemo poterit operari? Nox ista impiorum erit: nox ista corum erit, quibus in fine dicitur: *Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius* (MATTH. XXV, 41). Sed nox dicta est, non flamma, non ignis. Audi quia et nox est. De quodam servo dicit: *Ligate illi manus et pedes, et proiicite eum in tenebras exteriores* (Ibid. XXII, 13). Operetur ergo homo dum vivit, ne illa nocte praeveniatur, ubi nemo possit operari. Modo est ut operetur fides per dilectionem: et si modo operamur, hic est dies, hic est Christus. Audi promittentem, et ne arbitreris absentem. Ipse dixit: *Ecce ego vobiscum sum* (Ibid. XXVIII, 20). Quamdiu? Non sit in nobis sollicitudo qui vivimus: si fieri posset, de hac etiam voce posteros, qui futuri sunt, securissimos faceremus. *Ecce*, inquit, *ego vobiscum sum usque in consummationem saeculi*. Dies iste, qui circuitu solis huius impletur, paucas horas habet: dies praesentiae Christi usque in consummationem saeculi extenditur. Post resurrectionem vero vivorum et mortuorum, cum positus ad dexteram dixerit: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum*: positus autem ad sinistram dixerit: *Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius* (MATTH. XXV, 34, 41): ibi erit nox, ubi nemo potest operari, sed recipere quod operatus est. Aliud est tempus operationis, aliud receptionis: *Reddet enim Dominus unicuique secundum opera sua* (Ibid. XVI, 27). Cum vivis, fac

si facturus es: erit enim tunc nox valida quae involvat impios. Sed et modo omnibus infidelis, quando moritur, illa nocte suscipitur: non est ut illic aliquid operetur. In illa nocte dives ardebat, et stillam aquae de digito pauperis requirebat: dolebat, angebatur, fatebatur, nec ei subveniatur; et conatus est benefacere. Ait enim Abrahae: *Pater Abraham, mitte Lazarum ad fratres meos, ut dicat illis quid hic agatur, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum* (LUC. XVI, 27). O infelix, quando vivebas, tunc erat tempus operandi: modo iam in nocte es, in qua nemo possit operari.

*Haec cum dixisset, exiit in terram et fecit lutum ex spulo, et linitit lutum super oculos eius, et dixit ei: Vade, et lava in natatoria Siloe, quod interpretatur missus. Abiit ergo, et lavit et venit videns* (IOANN. IX, 6, 7). Haec quia manifesta sunt, transeamus.

*Itaque vicini, et qui videbant eum prius qui mendicus erat dicebant: Nomen hic est qui sedebat et mendicabat? Alii dicebant: Quia hic est; alii: Nequaquam, sed similis est eius. Aperti oculi vultum mutaverant. Ille dicebat: Quia ego sum. Vox grata, ne damnaretur ingrata. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt oculi tui? Respondit: Ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, et unxit oculos meos, et dixit mihi: Vade ad natatorium Siloe, et lava. Et abiit, et lavit, et vidi. Ecce annunciator factus est gratiae; ecce evangelizat, confitetur videns. Caecus ille confitebatur, et cor impiorum frangebatur: quia non habebant in corde, quod iam ille habebat in facie. Dixerunt ei: Ubi est ille, qui tibi aperuit oculos? Ait: Nescio. In his verbis animus ipsius adhuc inuncto similis erat, nondum videnti. Sic ponamus, fratres, tamquam illam inunctionem in animo habuerit. Praedicat, et nescit quem praedicat.*

2224 *Adducunt eum ad pharisaeos qui caecus fuerat. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus, et aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum pharisaei quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum posui mihi super oculos, et lavit, et video. Dicebant ergo ex pharisaeis quidam* (IOANN. IX, 13 ss.). Non omnes, sed quidam: iam enim inungebantur quidam. Quid ergo dicebant, nec videntes, nec inuncti? *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Ipse potius custodiebat, qui sine peccato erat. Sabbatum enim spirituale hoc est, non habere peccatum. Denique, fratres, hoc admonet Deus, quando commendat sabbatum: Omne opus servile non facietis* (LEVIT. XXIII, 8). Haec sunt verba Dei sabbatum commendantis: *Omne opus servile non facietis. Iam superiores lectiones interrogate quid sit opus servile; et Dominum audite: Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (IOANN. VIII, 34). Sed isti nec videntes, ut dixi, nec inuncti, sabbatum carnaliter observabant, spiritualiter violabant. *Alii dicebant: Quomodo potest homo peccator haec signa facere?* (Ibid. IX, 16). Ecce sunt inuncti. *Et schisma erat in eis. Dies ille diviserat inter lucem et tenebras. Dicunt ergo caeco iterum: Tu quid dicis de eo, qui aperuit oculos tuos? Quid de illo sentis? Quid existimas? quid iudicas? Quae-rebant quemadmodum homini calumniarentur, ut de synagoga pelleretur, sed a Christo inveniretur. Sed ille constanter quod sentiebat expressit. Ait enim, quia propheta est. Adhuc quidem inunctus in corde, nondum Dei Filium confitebatur, nec mentitur tamen. Ipse enim Dominus de se ipso ait: *Non est propheta sine honore nisi in patria sua* (MATTH. XIII, 57).*

2225 *Non crederunt ergo Iudaei de illo, quia caecus fuisset et vidisset, donec vo-*

*carent parentes eius qui viderat: id est, qui caecus fuerat et viderat. Et interrogaverunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis quia caecus natus est? quomodo ergo nunc videt? Responderrunt eis parentes eius et dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, et quia caecus natus est: quomodo autem nunc videat nescimus, aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus. Et dixerunt: Ipsum interrogate, aetatem habet, ipse de se loquatur* (IOANN. IX, 19 ss.). Filius quidem noster est, sed iuste cogemur loqui pro infante, quia ipse pro se loqui non posset; olim loquitur, modo videt: caecum a nativitate novimus, loquentem olim scimus, videntem modo videmus; ipsum interrogate, ut instruamini: quid nobis calumniamini? *Haec dixerunt parentes eius, quia timebant Iudaeos. Iam enim conspiraverant Iudaei, ut si quis cum confiteretur Christum, extra synagogam fieret. Iam non erat malum fieri extra synagogam. Illi expellebant, sed Christus excipiebat. Propterea parentes eius dixerunt, quia aetatem habet, ipsum interrogate.*

*Vocaverunt ergo rursus hominem, qui fuerat caecus, et dixerunt ei: Da gloriam Deo* (Ibid. 24). Quid est, *Da gloriam Deo?* Nega quod accepisti. Hoc plane non est gloriam Deo dare, sed Deum potius blasphemare. *Da, inquit, gloriam Deo. Nos scimus, quia hic homo peccator est. Dixit ergo ille: Si peccator est, nescio; unum scio, quia caecus cum essem, modo video. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? Et ille iam stomachans adversus duritiam Iudaeorum, et ex caeco videns non ferens caecos, respondit eis: Dixi iam vobis, et audistis; quid iterum vultis audire? Nunquid et vos vultis discipuli eius fieri? Quid est: Nunquid et vos, nisi quia ego iam sum? Nunquid et vos vultis? Iam video, sed non invidio.*

2227 *Maledixerunt ei, et dixerunt: Tu discipulus eius sis (IOANN. IX, 27). Tale maledictum super nos, et super filios nostros. Maledictum enim est, si cor discutias, non si verba perpendas. Nos autem Moysi discipuli sumus: nos scimus quia Moysi locutus est Deus, istum autem nescimus unde sit. Utinam sciretis: quia Moysi locutus est Deus: sciretis quia per Moysen praedicatus est Deus. Habetis enim Dominum dicentem: Si crederetis Moysi, crederetis et mihi, de me enim ille scripsit. Itane sequimini servum, et dorsum ponitis contra Dominum? Sed nec servum sequimini, nam per illum ad Dominum duceremini.*

2228 *Respondit ille homo, et dixit eis: In hoc mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit oculos meos. Scimus autem quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, et voluntatem eius facit, huic exaudivit (Ibid. ix, 30, 31). Adhuc inunctus loquitur. Nam et peccatores exaudivit Deus. Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens et petus suum percutiens diceret: Domine, propitius esto mihi peccatori (LUC. XVIII, 13). Et ista confessio meruit iustificationem, quomodo iste caecus illuminationem. A saeculo non est auditum, quia aperuit quis oculos caeci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam, (IOANN. IX, 32, 33). Libere, constanter, veraciter. Haec enim quae facta sunt a Domino, a quo fierent nisi a Deo? Aut quando a discipulis talia fierent, nisi in eis Dominus habitaret?*

2229 *Responderunt et dixerunt ei: In peccatis natus est totus. Totus quid est? cum oculis clausis. Sed qui aperuit oculos, salvat et totum: ipse dabit ad dexteram resurrectionem, qui in facie dedit illuminationem. In peccatis totus natus es, et tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.*

Ipsi illum magistrum fecerunt, ipsi ut discerent toties interrogaverunt, et ingrati docentem proeiecerunt.

Sed quod dixi iam dudum, fratres; illi pellunt, excipit Dominus: magis enim quia expulsus est, christianus factus est. *Audivit, Iesus quia eiecerunt eum foras, et cum invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Modo lavat faciem cordis. Respondit ille et ait quasi adhuc inunctus: Quis est, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum et qui loquitur tecum ipse est. Missus est ille, iste lavans faciem in Siloe, quod interpretatur Missus. Denique iam facie lota cordis et mundata conscientia, agnoscens eum non filium hominis tantum, quod ante crederat, se iam Filium Dei qui carnem susceperat, ait: Credo, Domine. Parum est, credo: vis videre qualem credat? Procidens adoravit eum.*

#### Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SERENSIS, VOL. II, SERM. 50.)

2230 **Q**UINTO propter crucifixionem. Quanto enim homo sublimior est in statu, tanto ignominiosa mors eius vituperabilior est.

2231 Considera ergo sublimitatem Christi in praedictis septem, et mortem crucis; nam patibulum crucis erat supplicium pessimorum, et per consequens ad maius vituperium eius hoc excogitaverunt; unde Sap. II in persona Iudaici populi dicitur: *Morte turpissima condemnemus eum;* et Ier. XI, in persona Domini, dicitur: *Cogitaverunt super me consilia, dicentes: Venite mittamus ligna in faucem eius, id est, crucifigamus eum et crucifixio eius suae doctrinae, quam dicit panem, commisceatur; ac per hanc villitatem supplicii a cunctis viventibus respiciatur: et sic: Eradicemus eum de terra viventium, et nomen eius non memoretur amplius. Et per Prophetam Psal. XXI lamentabiliter dicit: *Foderunt manus meas, et pedes meos, scilicet, clavorum acumine; nec inquit, transfixerunt, sed foderunt, ut denotet fructum diffusionis gratiarum qui inde secutus est, scilicet, gloriam sempiternam; unde versus:**

Fossa parit tellus optato tempore coelis.  
Fossa caro Christi coelica dona dedit.

2232 Et subdit Propheta, dicens: *Diminuerunt omnia ossa mea, scilicet, propter violentam corporis extensionem, sicut supra dictum est.*

2234 Respice ergo mens devota, iaculo compassionis percussa, ad sponsum tuum dilectum Iesum, et vide in pugna hostili praesentis vitae illum factum nobis tricoloratum vexillum; candor enim virgineae carnis et nigredo livida flagellorum, atque cruoris effusi rubor ostendant Iesum tricoloratum vexillum, ut et tu, anima mea, simili formeris effigie, innocentia candida, poenitentia nigra, et charitate ignea rubicunda, atque sic tota piissimi Iesu Sanguine colorata, desideres toto corde pro eius amore fundere sanguinem, ut eius morti sanctissimae conformeris.

2235 Sexto propter blasphemationem: quanto enim qui blasphematur est in gradu sublimiori, tanto ei blasphemia publice coram populo irrogata, est gravior censenda.

2236 Sed considera blasphemias praedictas contra Iesum, atque quam mereretur in cruce. Non enim sufficit impiis tanta meruisse ludibria contra eum, quibus per totam noctem usque ad horam crucis repleverunt animam eius; verum etiam, omni humanitate postposita, omni pudore reiecto, omnino effrontes ipsi sclerati Principes Sacerdotum cum Scribis, et senioribus populi, excentes de civitate ad crucifixionis locum, ibi mansuetio agno insultant accedunt dicentes, sicut ex praecedentibus patet: *Vah! qui destruxit templum Dei; alios saevos fecit, seipsum non potest salvum facere; Christus Rex Israel descendat in hac de cruce, et credimus ei:* et multas alias blasphemias dixerunt contra eum: unde Sophon. I ait: *Blasphemerunt Dominum exercituum.*

2237 Considera, o mens devota, quanto furore ministri talium impiorum in omnibus actibus passionis suae tractaverunt Iesum, quando ipsi Principes Sacerdotum, et Scribae, et seniores populi, in quibus debebat apparere maturitas, et gravitas in iudicando sceleratos, etiam ex interno furore ad tantam exterius rabidam infamiam porumpunt, quod in festivitate sacrorum dierum non erubescerent contra omnem illorum consuetudinem, atque mores, egressi sunt ad locum publici supplicii, morientis iusto sic insultantes.

2238 Admirandum quidem inverecundiam sui status in hoc actu demonstraverunt, qui ex horribili odio in Dominum Iesum processisse manifeste videtur: proinde omnis immanis crudelitas quae possit excogitari, contra Christum per hos impios et eorum ministros, ut placerent eis, ex eorum rabida furia exercitata est; unde Propheta in persona Domini ait, Psal. XXI: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me: aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, et rugiens.*

2239 Cogita ergo, fidelis anima, quam crudeliter tractaverunt eum, quum de nocte libere, haberent eum in manibus suis, quando cum inaudita impudentia sic coram omni populo excentes, omni relictio pudore, et rubore, punctivas invectivas, et contumelias derivatas exclamaverunt alta voce contra hominem deficientem, morientem, et pendentem in ligno, et toto corpore sanguine delinquentem; unde merito Ier. XII in persona Domini ait: *Haereditas mea, quasi leo in sylva, scilicet, propter crudelitatem; et iterum Propheta Psal. XXXVII: Amici mei, et proximi mei adversus me appropinquaverunt, et steterunt; et iterum idem ait, Psal. XXX: Audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu, scilicet, crucis meae; et iterum, Psal. LXVIII: Opprobria exprobrantium tibi, o Pater aeternae, ceciderunt super me; ego autem tanquam surdus non audivi, et sicut mutus non aperiens os suum; et alibi dicitur: *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, (Psal. LXVIII) scilicet, ad spectaculum mortis meae, et in me psallebant, qui bibebant vinum, scilicet, in convivii, et tabernis quia dies festi erant.**

2240 Septimo propter confusionem. Quanto enim quis est in gloria sublimior, tanto eius confusio efficitur maior. Ex praecedentibus dignitatibus clarescere potest dignitas Christi, atque eius summa sublimitas.

2241 Sed et ex sex quae in praecedenti articulo dicta sunt, manifeste apparet quanta fuerit confusio eius pendentis in cruce, quum homo tam nobilis naturae, tam speciosae formae, tantae sapientiae, tantaque potentiae in miraculis operandis, tantae famae, tantae sequelae, tantae gloriae, taliter fuerit derisus tam dire flagellatus, atque afflictus, spinis coronatus, totus nudatus, tam atrociter cruci affixus, et ad omnium spectaculum in cruce levatus, et tam crudeliter blasphematus. Et quis posset exprimere talem confusionem? Merito ergo Tren. III Ierem. praedicit dicens: *Saturabitur opprobriis; et per Prophetam inquit, Psal. LXXIII: Sustinui opprobrium, scilicet, in corde meo; nam sicut verbera affligunt corpus, sic verbis opprobriis affligitur cor; et addit: *Il confusio faciei meae cooperavit me. Insuper subdit, dicens: Tu scis imperium meum et confusionem meam, et reverentiam meam; confusio enim magna est homini, quando ut fur fatigatur, et flagellatur, et tandem suspenditur; et sequitur: Sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit; qui consolaretur, et non invenit. Et dederunt in escam meam fet, et in siti mea potaverunt me aceto. Ad litteram.**

2242 Ad confusionis autem illius augmentum, et complementum, cum eo crucifixerunt duos scelestos latrones, medium stantes Iesum, tanquam ex-

cellentiorum in sceleribus, et in impietatibus nequiores, sicut Is. LIII cap., praedixerat: *Et cum sceleratis reputatus est.*

2243 Attende autem quod licet Iudaeorum insania ad infamiam Domini Iesu ipsum inseruit medio inter latrones; divina tamen providentia in hoc facto et futurum iudicium, et redemptionis beneficium singulariter demonstravit. Nam et totum genus humanum atrocissimi paterna praevencione infectum infernali cruciatu debuit iustitia mediante affligi. In cuius generis media Salvator mundi affixus, electos ex mera gratia quasi latronem dextrum iustificando convertit, et reprobos quasi sinistram latronem exigentem iustitia in sua pertinacia reliquit; ut sic dexter latro inveniat in misericordia crucifixi Iesu unde gratias agat; sinister vero in sua obstinatus malitia non inveniat quid reprehendat.

2244 Proinde non vacat a mysterio quod uterque latro utriusque blasphemus fuit, et convitiis Salvatori. Quia Salvator mundi, sicut nullum a peccato liberum, vel reatu invenit, sic pro salvandis omnibus venit, licet eius liberationis fructus ad solos transferat electos; sed hoc non est ex defectu redemptoris pretii, vel redemptoris Christi, sed est ex caeca malitia obstinati animi reproborum; horum siquidem figuram tenuit latro ille sinister qui nec mansuetudine benedicti Iesu inspecta, nec ex visione tam manifestorum miraculorum quibus fuit tota mundi machina immutata, nec ex benigna Iesu susceptione facta de socio latrone converso nec de charitativa correptione, consocii se in maleficio confitentis consortem, et sibi Iesum praedictantis insontem potuit converti, ac revocari. Cui ergo impius iste, nisi propriae malitiae suam damnationem ascribit? et cui etiam dexter latro suam salutem deputare potest, nisi illius gratiae, atque dono, qui in eius latere in cruce pendeat? qui ipsum ad se diligendum, confitendum, praedicandum, et defendendum, gratuita miseratione convertit. Pro omnibus supradictis Philippus Cancellarius Parisiensis in persona Domini ait:

Vide homo quae pro te patior;  
Non est dolor sicut quo crucior;  
Ad te clamo, qui pro te morior;  
Vide poenas quibus afficio;  
Vide clavos quibus confodio;  
Quam sit tantus dolor exterior,  
Intus tamen plancus est gravior,  
Tam ingratum dum te experior.

2245 Quanto autem charitatis ardore, omnibus supradictis modis confusionem sustinuit pro nostra redemptione amorosus Iesus ostendit Apostolus ad Hebr. XII, dicens: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen aspicientes in au-*

*ctorem fidei, et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusionem contempta.*

Tanta fuit confusio, quam tunc sustinuit Iesus (ut ad verendum nostrae malitiae loquar), quod in sensibilibus creatura testatur, confusio superna virtute toto isto sensibili mundo, nam et sol obscuratus est, retrahens lumen suum, quasi horrens tantam confusionem perpeti creatorem; velum templi scissum est, ostendens propalatum esse viam regni caelorum per crucem confusionem quam Christus pro nobis sustinere dignatus est; monumenta aperta sunt, ut claresceret, quod confusio crucis Christi virtute sua nostras confusiones eminus propulsabat; et sic iste totus sensibilibus mundas colore suo privatus quodammodo videbatur horrere, et nitelatur ostendere confusionem omnium conditoris, et in eius confusibili morte lugubre, et funebre assumere vestimentum.

Tu igitur, anima mea, secundum Augustinum in lib. de Virginitate: Aspicue vulnera in cruce pendentes, sanguinem morientis, pretium redemptoris, cicatrices resurgentes; caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum; haec quanta sint, cogitate; haec in statera cordis vestri appendite, ut totus vobis figurat in corde, qui pro nobis fixus fuit in cruce.

Quarto inquit, *humilitas sum nimis*, scilicet, propter causam finalem. Si vero ultima consideratur causa finalis in Dominica Passione, et circumstantiae mortis Christi debite examinentur, apparet etiam abyssus humilitatis et confusiois ex alia septempler ratione. Primo propter locum; secundo propter situm; tertio propter festum; quarto propter horam; quinto propter modum; sexto propter causam; septimo propter finalem mortem.

Primo propter locum; nam qui elegit Bethlehemi (nativitati, elegit Ierusalem passioni, et maior esset ignominia, quam ortus sui erat gloria. Erat autem Ierusalem metropolitana civitas et principalis sedes regni, magistrerii et sacerdotii; ideo ibi debebat pati, qui erat Rex, Magister, et Sacerdos in cultu unius Dei, et magis erat referta populo. Nam, ut dicitur Act. II: *Erant in Ierusalem habitantes Iudaei viri religiosi ex omni natione quae sub caelo est*, et subditur: *Parti, et Medi, et Elamitae, et qui habitant Mesopotamiam, Iudaeam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Aegyptum et partes Lybiae quae est circa Cyrenam, et advenae Romani. Iudaei quoque et Proselyti, Cretes et Arabes*. Ex quo patet quod Christi mors per infamiae diffusio-

nem ad omnes mundi partes maxime ignominiae fuit.

2250 Secundo propter situm, scilicet, qui fuit Calvariae mons, locus et situs, ubi impii trucidabantur, utique ignominiosus et maxime in Dei populo diffamatus; tum propter civitatem in qua erat sedes divini cultus; tum propter multitudinem civitatis, quia ad eam sicut dictum est, quasi ex omnibus mundi partibus confluabant; unde de tali loco Ioann. XIX dicitur: *Susciperunt autem Iesum, et eduxerunt eum et balaus sibi crucem, exiit in eum qui dicitur Calvariae locus, Hebraice autem Golgotha, in quo eum crucifixerunt*. Hic quidem est mons, secundum Hieronymum, in quo Abraham iussus est immolare filium suum Isaac, Genes. XXII. Lege historiam, et mystice invenies quod Abraham significat Deum Patrem, et Isaac Christum Filium, mons charitatem; duo invencus sunt duo increduli populi, scilicet, Iudaeus et Gentilis: asinus est stultitia Iudaeorum; ara, ligna et vepres sunt ipsa sacra crux; Isaac divinitas; aries vero humanitas; sed ignis est ardens charitas et angustia passionis Filii Dei Iesu Christi.

2251 Tertio propter festum, scilicet, azimorum, quando de Iudaea tanto die in Ierusalem populus Israel convenire debebat. Nam secundum Nicolaum de Lyra, viri tenebantur ter in anno Ierolymis interesse festo, et apparere coram Domino. Primo in Pascha, quod anno illo fuit sexta feria, et in die illo crucifixus est Christus; secundo in Pentecoste, scilicet, in memoriam datae legis in monte Sinai, quia secundum Glossam, a die Agni immolati quinquagesima die data est; tertio in scenopogia, quod est idem quod fixio tabernaculorum, qui fiebat in memoria quadraginta annorum quibus fuerant filii Israel in tabernaculis in deserto.

2252 Quarto propter horam, scilicet, meridiana, in qua omnes de civitate, et de propinquis partibus facilius concurrere poterant ad spectaculum in Christi contumeliae, et opprobrii augmentum.

2253 Quinta propter modum, scilicet, in alto loco, ut ab omnibus circumstantibus visus, et sic delusio confusibilis moreretur, sicut Is. LIII cap. praedixerat, dicens: *Exaltabitur et sublimis erit valde*, sicut in fine praecedentis articuli dictum est, unde merito Gregorius in quadam Homilia ait: Tanto dignus Deus ab omnibus honorandus est, quanto pro omnibus indigna susceperit.

2254 Sexto propter causam, qui videlicet crucifixus est sub titulo summae blasphemiae et ignominiae, scilicet, quia dicebat, se esse summum Deum, sub qua causa aut titulo nullum unquam seculum legitimus esse passum; unde Ioann. XIX, dixerunt Pilato: *Nos legem habemus, et secundum legem*

*debet mori, quia Filium Dei se fecit*. Averte quod non dicant, quia Filium Dei se dixit, sed Filium Dei se fecit; ut per hoc ostendant, quod falso et arroganter usurpaverit hoc nomen; innotuit autem legi III, Levitico XXIV: *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur*. Blasphemia quidem in Deum est eius divinitatem univoce, et coaequaliter attribuire creaturae, et pro tanto dicunt eum blasphemasse dicendo se esse Filium Dei, Deo, scilicet, Patri coaequalem et substantialen.

Et quidem blasphemiae extitisset et magna, si Deus talem Filium gignere et habere non posset, aut si ex Scripturis sacris, et ex certissima fide sanctorum Prophetarum et Patrum necessario convincere possent, quod Deus nullatenus Filium habet; cuius tamen oppositum ex eorum Scripturis habetur, sicut diffuse et irrefragabiliter probari posset, et plerique Doctores efficacissime probarunt, quae causa brevitas omitto. Adde quod si verum non extitisset Deus, per miracula sua propria, quae nullus alius potest patrare, veritatis testimonium non dedisset, sicut supra in tertio praecedenti articulo et ratione quarta, circa principium monstratum est.

## FERIA QUINTA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.

Luc. VII, II-16.

In illo tempore: Ibat Iesus in civitatem, quae vocatur Naim; et ibant cum eo discipuli eius, et turba copiosa.

12. Cum autem appropinquaret portae civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae, et haec vidua erat; et turba civitatis multa cum illa.

13. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.

14. Et accessit et tetigit loculum. (Illi autem, qui portabant, steterunt). Et ait: Adolescens, tibi deo, surge.

15. Et resedit qui erat mortuus, et coepit loqui. Et dedit illum matri suae.

16. Accepit autem omnes timor: et magnificabant Deum, dicens: Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

COMMENT. IN LUC. CAP. 7.

2256 **H**ic locus ad utramque redundat gratiam, ut et cito fletu divinum misericordiam matris viduae lamentatione credamus, eius praecipue quae unice filii vel labore, vel morte frangatur, cui tamen viduae gra-



vitis meritum exsequiarum turba conciliat: et hanc viduam populorum turba septam, plus videri esse quam feminam, quae resurrectioni unici adolescentis filii sui lacrymis meruerit impetrare; eo quod sancta Ecclesia populum iuniorem a pompa funeris, atque a supremis sepulchri suarum revocet ad vitam contemplatione lacrymarum; quae flere prohibetur, cum ei resurrectio debeat.

2257 Qui quidem mortuus in loculo, materialibus quatuor ad sepulchrum ferebatur elementis: sed spem resurgendi habebat, quia ferebatur in ligno. Quod etsi nobis ante non proderat, tamen postquam Iesus id tetigit, proficere coepit ad vitam, ut esset indicio salutem populo per crucis patibulum refundendam. Audito igitur Dei verbo, steterunt acerbi illius funeris portitores qui corpus humanum lethali fluxu naturae materialis urgebant. Quid enim aliud, nisi quasi in quodam feretro, hoc est, supremi funeris instrumento iacemus exanimis, cum vel ignis immoedicae cupiditatis exaequat, vel frigidus humor exundat, vel pigra quadam corporis habitudine vigor hebetatur animum, vel concreta noster spiritus labe, purae lucis vacuum mentem alit? Hi sunt nostri funeris portitores.

2258 Sed quamvis suprema mortis spem vitae omnis abolerint, et tumulo proxima corpora iaceant defunctorum; verbo tamen Dei iam moritura resurgunt cadavera, vox redit, redditur filius matri, revocatur a tumulo, eripitur a sepulchro. Quis iste est tumulus tuus, nisi mali mores? Tumulus tuus perfidia est, sepulchrum tuum guttur est: *Sepulchrum enim patris est guttur eorum* (PSAL. V. 11), unde verba mortua proferuntur. Ab hoc sepulchro te liberat Christus, ab hoc tumulo resurges, si audias verbum Dei.

2259 Et si grave peccatum est quod pœ-

nitentiae tuae lacrymis ipse lavare non possis, flet pro te mater Ecclesia, quae pro singulis tamquam pro unicis filiis vidua mater intervenit; compatitur enim quodam spiritali dolore naturae, cum suos liberos lethali bus vitii ad mortem cernit urgeri. Viscera sumus de visceribus eius; sunt enim et spiritalia viscera, quae habet Paulus dicens: *Ita, frater, ego te fruor in Domino, refice viscera mea in Christo* (PHILEM. 20). Nos ergo viscera sumus Ecclesiae, quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius. Doleat igitur pia mater, assistat et turba: non solum turba, sed etiam multa compatitur bonae parenti. Iam resurges a funere, iam liberaberis a sepulchro: stabunt illi ministri tui funeris, incipies vitalia loqui, timebunt omnes; unius enim exemplo plurimi corrigentur. Laudabunt etiam Deum, qui tanta nobis remedia vitandae mortis indulserit.

#### Varia de Passione Christi

(EX S. BERNARDINO SERVENSIS, VOL. II, SERM. 59).

2260 SEPTIMO propter finalem mortem praedicta omnia concludentem, et confirmantem, quia finis rei acta praecedentiae probat. Proinde IOANS. XVI. dicitur, quod quum Dominus dixisset: *Consummatum est*, statim subiungitur, *et inclinato capite tradidit spiritum*.

2261 Inclinauit autem caput maxime ut ostenderet nobis quatuor. Primo gravitatem; secundo humilitatem; tertio pauperatatem; quarto gratuitatem. Primo autem inclinavit in morte caput, ut ostenderet gravitatem. Consequens enim homo prae nimio onere aggravatus suum inclinare caput; sic Christus aggravatus pondere peccatorum nostrorum inclinavit caput; unde I. Petr. II: *Peccata nostra ipse portavit in corpore suo super lignum*; et Thren. I: *Convolutae sunt iniquitates, scilicet, peccatorum, et impositae collo meo*. Secundo ut ostenderet pauperatatem; fuit enim tantae pauperatis in morte Filius Dei Iesus Christus, quod non habuit ubi reclinare caput suum; unde Bernard. O vita Angelorum, o thesauri pauperum; quum vulpes foveam habeant, et volucres coeli nidus; tu tamen in cruce caput ubi reclinares non habuisti. Tertio,

ut ostenderet humilitatem, scilicet, esse viam ad gloriam sempiternam; proinde Prov. IV. dicitur: *Viam monstrabo tibi, et docam te per semitas aequitatis, quas quum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui et curvos non habebis offendiculum*; unde Hugo in lib. de clav. animae: Per humilitatis viam revertimur ad coelestem patriam; et per Prophetam Dominus ait: *Non habitabilis in medio domus mear, qui facit superbiam*. Quarto ut ostenderet gratuitatem, id est, ut augetur gratiam Deo Patri pro mortis victoria. Solent enim gratias agentes inclinare caput; eius enim mors nostrae mortis victoriae fuit, quia *mortem nostram moriendo destruxit*; unde I. Cor. XI. Apostolus ait: *Absorpta est mors in victoria*; et iterum subdit: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum*.

2262 O mors amabilis, o passio desiderabilis, o profunditas admirabilis, quid mirabilius, quam quod mors vivificat? vulnera sanant? sanguis emundat? dolor ad amorem inflammat? aperit lateris cordi coniungit et copulat? et quod mirabilius est, sol obscuratus plus solito fulget? ignis extinctus cor magis inflammat? passio ignominiosa glorificat? sitis inebriat? nuditas virtutum vestibus ornat? conclavatae manus nos solvunt? pedes confixi nos currere faciunt? emittens spiritum vitam inspirat, atque in ligno decedens ad coelestia vocat?

2263 Ergo pro supradictorum conclusione August. in lib. de quatuor virtutibus cardinalibus ait: Filius Dei ad crucem ducitur, expalmatur qui est vera palma victoriae; spinis coronatur qui peccatorum spinas corrumpere venit; ligatur qui solvit compeditos; ligno suspenditur qui eligit elisos; aceto potatur fons vitae; disciplina caeditur, salus vulneratur, vitae moritur, occidit ad tempus vitam mors, ut in perpetuum a vita occidatur mors. Et iterum idem ait: Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia deludatur, pro mendace veritas negatur, et damnatur iustitia pro iniquo, misericordia affligitur pro infidelis, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, moritur vita pro mortuo.

2264 Ex omnibus praecedentibus patet quod mortuus est Christus iustus pro iniustus, ab iniustus, et pro iniustus, cum iniustus, et ex iniustus causis sub iniustus iudicibus, cum iniustus poenis atque suppliciis. Respice ergo, mens devota, in faciem Christi tui, et contemplantur in eo crucis portationem in exemplum nostrae confessionis quae debet esse nuda; brachiorum extensionem ad amplexandum, in signum de peccato redeuntis in gratiam receptionis; clavorum in manibus et pedibus infixionem, propter memoriam fixae et stabilis re-

cordationis; coronae spineae impositionem, in figuram nostrae glorificationis; capitis inclinationem ad osculum, in signum nostrae reconciliationis; lateris apertionem, propter effusionem pretii nostrae redemptionis et ablutionis; exitum enim ab eo sanguis et aqua ex quibus anima mea retempla et lota est.

2265 Si enim ex omnibus derisionibus, flagellis, spinis, clavis, doloribus, poenis, exprobrationibus, subsannationibus, colaphis, alapis, sputis, confusionibus, et his similibus, vis componere et colligare fasciculum myrrhae, require in brevi de Dominica Passione quae in mente recondere possis ad devote contemplandam, intellectualiter intueandam, atque suaviter degustandam; ut tamquam sponsa Christi dicere valeas de amorosissimo sponso tuo Iesu illud Cant. I: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi inter ubera mea*, id est, inter intellectum contemplantem, et affectum degustantem, *connorabitur*, scilicet, strictus, et perseveranter.

2266 Considera enim primo quis est qui patitur; secundo qualis est qui patitur; tertio quantum est qui patitur; quarto qua de causa patitur; quinto quali forma patitur; sexto quanta sunt quae patitur; septimo a quibus patitur; octavo in quibus ipse patitur; nono in quibus membris ipse patitur; decimo quanta acerba patitur; undecimo quantum intense patitur; duodecimo quam meritorie patitur.

2267 Primo considera quis est qui patitur, et indubitanter tene ipsum Dei Filium aeternum, regem omnium ideale principium, redemptorem impiorum hominum, secundo qualis est qui patitur, quia innocentissimus, et nobilissimus, imaginem habens aeterni regis; tertio quantum est qui patitur, et admirare maiestatem annihilari, speciositatem deformari, felicitatem tormentari; quarto qua de causa patitur, quia pro inimici redemptione, pro caeci illuminatione, et pro luti glorificatione; quinto quali forma patitur, quia obedientissime respectu Dei, severissime respectu sui, libentissime respectu in-grati; sexto quanta sunt quae patitur, quia ut laterculus vincula, ut stultus ludibria, et ut iniquus supplicia; septimo a quibus ipse patitur, quia a gentibus et Iudaeis, a dominis et servis, a viris et mulieribus; octavo in quibus ipse patitur, quia in tota familia, in honore, et fama, et pauperula substantia; nono in quibus membris ipse patitur, in manibus transfusionem, in pedibus confinementem, et in toto corpore flagellationem; decimo quanta acerba patitur ex locis nervosis, quia in manibus, et pedibus, et speciem passionis; quia si volebat in pedibus mitigare dolorem, multo magis in manibus lacerabatur, et coeverso; undecimo quam intense patitur ex corporis complexione quia nulla

dulcedo, quia quod divino producitur miraculo, ad melius terminatur, quam quod natura producere posset, ex mensis dispositione qua comprehendebat acutus nouementum, quae comprehensio tristitia nominatur, ex quo sensibus causatur dolor ex auxilii privatione. In aliis enim patientibus mitigatur dolor exterior, vel tristitia interior, ex aliqua consideratione rationis redundante in sensualitatem, quod in Christo patiente non fuit; unicusque enim virtum, ut ait Damascen. permissum est agere vel pati, quod ei proprium est; duodecimo, quod meritorie patitur; fuit enim passio sua, et mors satisfactoria pro peccantium multitudine, pro peccatorum magnitudine, proque poenarum infinita duratione.

2268 **T**ertium principaliter circa Dominicam Passionem contemplantur abyssum incomprehensibilis utilitatis et fructuositatis: quia de se Dominus per Prophetam subdit dicens, Psal. xxxvii: *Domine, ante te omne desiderium meum, id est, tu scis, quia omnia sustineo propter obedientiam tuam, et propter humani generis utilitatem et fructum; non propter meam commoditatem, et lucrum, quod in persona humani generis Propheta Domino conficitur dicens Psal xv: Honorum meorum non egess; nam nobiscum nec propter nos efficitur Deus maior, sicut nec absque nobis est minor. Ex quo patet quod amor, qui tanta pro nobis fecit Dominum pati, gratuitus fuit, quod intelligens quidam orabat Dominum, dicens: O amor, qui me amasti sine te: fac me diligere te sine me. Ut igitur clarescant admirandi fructus desiderii Christi morientis pro nobis, et quam magna sint mysteria crucis eius, assumam mysticam figuram crucis de qua Dan. iv dicitur: *Videbam, et ecce arbor in medio terrae, et altitudo eius nimia, et magna arbor et fortis, et proceritas eius coniungens coelum. Aspectus illius erat usque ad terminos terrae universae: Folia eius pulcherrima, et fructus eius nimius, et esca universorum in ea. Et subter eam habitabant animalia et bestiae, et in ramis eius conversabantur volucres coeli, et ex ea vesebatur omnis caro: in quibus verbis duodecim fructus ligni vitae, id est, sanctissimae Crucis mirificae demonstrantur. Primus fructus dicitur aptitudo, et de hoc ait: *Videbam, et ecce arbor in medio terrae*: secundus est altitudo et de hoc ait, *altitudo eius nimia*: tertius est magnitudo, unde ait, *et magna arbor*: quartus dicitur fortitudo, unde subdit, *et fortis*: quintus dicitur rectitudo, unde ait, *et proceritas eius attingens coelum*: sextus dicitur laetitudo, unde subditur, *aspectus illius erat usque ad terminos universae terrae*: septimus dicitur pulchritudo, unde ait, *folia eius pulcherrima*: octavus dicitur multitudo, unde ait, *et fructus eius nimius*: nonus dicitur**

dulceditudo, unde ait, *et esca universorum in ea*: decimus dicitur sanctitudo, et de hoc inquit, *subter eam habitabant animalia et bestiae*: undecimus promptitudo, unde subditur, *et in ramis eius conversabantur volucres coeli*: duodecimus dicitur plenitudo, et hoc ultimo subiungitur, *et ex ea vesebatur omnis caro*.

De tali autem ligno vitae Apoc. ii Ioann. ait: *Vincenti dabo edere de ligno vitae*; in quibus verbis ostenditur affectuosa saporositas huius ligni et fructuum eius, et maxime quoad tria. Primo quoad subiectum convenientissimum tibi, *vincenti*; secundo quoad actum dulcorosissimum tibi, *dabo edere*; tertio quoad obiectum amorosissimum tibi, *de ligno vitae*; quod potest esse thema in festis Crucis. Et ut suavis degustetur praedicti fructus, quemlibet in quatuor partes dividemus, ut etiam in ipsa divisione catalibet fructus, quasi materialiter crucis mysterium aperiat.

## FERIA SEXTA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.  
Ioann. xi. 1-45.

**I**n illo tempore: Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariae, et Marthae sororis eius.

2. Maria autem erat, quae iunxit Dominum ugento, et extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur.

3. Miserrunt ergo sorores eius ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.

4. Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

5. Diligebat autem Iesus Martham, et sororem eius Mariam, et Lazarum.

6. Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.

7. Deinde post haec dixit discipulis suis: Eamus in Iudaeam iterum.

8. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quaerebant te Iudaei lapidare, et iterum vadis illuc?

9. Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horae diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt.

10. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

11. Haec ait, et post haec dixit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado ut a somno excitem eum.

12. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, salvus erit.

13. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret.

14. Tunc ergo Iesus dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est.

15. et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum.

16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus et nos, ut moriamur cum eo.

Homilia S. Augustini Episcopi.  
IN EVANG. IOANN. TRACT. 49.

**N**ON omnia miracula, quae fecit Dominus noster Iesus Christus, Lazari resurrectione praecipue praedicatur. Sed si attendamus, quos fecerit, delectari debemus potius quam mirari. Ille suscitavit hominem qui fecit hominem: ipse enim est Unicus Patris, per quem, sicut nostis, facta sunt omnia. Si ergo per illum facta sunt omnia, quid mirum est si resurrexit unus per illum, cum tot quotidie nascantur per illum? Plus est homines creare quam resuscitare. Dignatur est tamen et creare et resuscitare, creare omnes, resuscitare quosdam. Nam cum multa fecisset Dominus Iesus, non omnia scripta sunt; sicut idem ipse sanctus Ioannes evangelista testatur, multa Dominum Christum et dixisse et fecisse, quae scripta non sunt (IOANN. xx, 30): electa sunt autem quae scriberentur, quae saluti credentium sufficere videbantur. Audisti enim, quia Dominus Iesus mortuum suscitavit: sufficit tibi, ut scias quia si vellet, omnes mortuos suscitaret. Et hoc quidem sibi ad finem saeculi reservavit. Nam quem audistis magno miraculo quadriduam mortuum suscitasse de sepulchro, *veniet hora*, sicut ipse ait, *quando omnes qui sunt in monumentis, audient vocem eius et procedent* (IOANN. v, 28). Resuscitavit putentem, sed tamen in cadavere putente adhuc erat forma membrorum; ille in novissimo die ad unam vocem cineres est restitutus in carnem. Sed oportebat, ut modo aliqua faceret, quibus datus velut suae virtutis, iudicis, credamus in eum, et ad illam resurrectionem praeparemur, quae erit ad vitam, non ad iudicium. Ita quippe ait: *Veniet hora, quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius: et procedent qui bene fecerunt ad resurrectionem*.

17. Venit itaque Iesus: et invenit cum quatuor diebus iam in monumento habentem.

18. Erat autem Bethania iuxta Ierosolimam quasi stadiis quindecim.

19. Multi autem ex Iudaeis venerant ad Martham et Mariam, et consolarentur eas de fratre suo.

20. Martha ergo ut audivit quia Iesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat.

21. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus:

22. sed et nunc scio, quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.

23. Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus.

24. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.

25. Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio, et vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet:

26. et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc?

27. Ait illi: Uti que Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in haec tuum diem venisti.

28. Et cum haec dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, et vocat te.

29. Illa ut audivit, surgit cito, et venit ad eum: non dum enim venerat Iesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.

30. Iudaei ergo, qui erant cum ea in domo, et consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut plorat ibi.

31. Maria ergo cum venisset ubi erat Iesus, videns eum, recidit ad pedes eius, et dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.

32. Iesus ergo, ut vidit eam plorantem, et Iudaeos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, et turbavit seipsum,

33. et dixit: Ubi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, et vide.

34. Et lacrymatus est Iesus.

35. Dixerunt ergo Iudaei: Ecce quomodo amabat eum.

36. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere ut hic non moreretur?

37. Iesus ergo rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca: et lapis superpositus erat ei.

38. Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam foetet, quatuordecim est enim.

39. Dicit ei Iesus: Nonne dixi tibi, quoniam si crederis, videbis gloriam Dei?

40. Tulerunt ergo lapidem; Iesus autem elevatis sursum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi quoniam audisti me.

41. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi: ut credant quia tu me misisti.

42. Haec cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras.

43. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes, et manus institis, et facies illius sordario erat ligata. Dixit eis Iesus: Solvite eum, et sistite abire.

44. Multi ergo ex Iudaeis, qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant quae fecit Iesus, crederent in eum.

*nem vitae; qui male egerunt ad resurrectionem iudicii.*

2271

Tres tamen mortuos a Domino resuscitatos in Evangelio legimus, et forte non frustra. Domini quippe facta non sunt tantummodo facta, sed signa. Si ergo signa sunt, praeter id quod mira sunt, aliquid profecto significant: quorum factorum significationem invenire, aliquanto est operosius, quam ea legere vel audire. Admirantes audiebamus, tamquam magni miraculi spectaculo ante nostros oculos constituto, cum Evangelium legeretur, quemadmodum revixerit Lazarus. Si attendamus mirabiliora opera Christi, omnis qui credit, resurgit; si attendamus omnes, et intelligamus detestabiliores mortes, omnis qui peccat moritur. Sed mortem carnis omnis homo timet, mortem animae pauci. Pro morte carnis, quae sine dubio quandoque ventura est, curant omnes ne veniat: inde est quod laborant. Laborat ne moriatur homo moriturus, et non laborat ne peccet homo in aeternum victurus. Et cum laborat ne moriatur, sine causa laborat; id enim agit, ut multum mors differatur non ut evadatur: si autem peccare nolit, non laborabit, et vivet in aeternum. O si possemus excitare homines et cum ipsis pariter excitari, ut tales essemus amatores vitae permanentis, quales sunt homines amatores vitae fugientis! Quid non facit homo sub mortis periculo constitutus? Gladio impendente cervicibus, proderunt homines quidquid sibi unde viverent, reservabant. Quis non continuo prodidit ne percuteretur? Et post proditorem fortasse percussus est. Quis non, ut viveret, continuo perdere voluit, unde viveret, eligens vitam mendicantem quam celerem mortem? Cui dictum est, Naviga, ne moriaris; et distulit? Cui dictum est, Labora ne moriaris; et piger fuit? Leviam Deus iubet,

ut in aeternum vivamus: et obedire negligimus. Non tibi Deus dicit, Perde quidquid habes, ut vivas exiguu tempore in labore sollicitus; sed, Da pauperi unde habes, ut vivas semper sine labore securus. Accusant nos amatores vitae temporalis, quam nec cum volunt, nec quamdiu volunt habent: et nos invicem non accusamus, tam pigri, tam tepidi ad capeendam vitam aeternam, quam si voverimus habebimus, cum habuerimus non amittimus: hanc autem mortem quam timemus, etiamsi noluerimus, habebimus.

2272

Si ergo Dominus magna sua gratia et magna sua misericordia animas suscitavit, ne moriamur in aeternum; bene intelligimus, tres illos mortuos, quos in corporibus suscitavit, aliquid significare et figurare de resurrectionibus animarum, quae fiunt per fidem: resuscitavit filium archisynagogi adhuc in domo iacentem (MARC. V, 41 ss.); resuscitavit iuvenem filium viduae extra portas civitatis elatum (LUC. VII, 14); resuscitavit Lazarum sepultum quadriduanum. Intueatur quisque animam suam: si peccat, moritur; peccatum mors est animae. Sed aliquando in cogitatione peccatur. Delectavit quod malum est, consensisti, peccasti; consensio illa occidit te: sed intus est mors, quia cogitatum malum nondum processit in factum. Talem animam resuscitare se significans Dominus, resuscitavit illam puellam, quae nondum erat foras elata, sed in domo mortua iacebat: quasi peccatum latebat. Si autem non solum malae delectationi consensisti, sed etiam ipsum malum fecisti; quasi mortuum extra portam extulisti: iam foris es et mortuus elatus es. Tamen et ipsum Dominus resuscitavit, et reddidit viduae matri suae. Si peccasti, poeniteat te: et resuscitat te Dominus, et reddet Ecclesiae matri tuae. Tertius mor-

tuus est Lazarus. Est genus mortis immane, mala consuetudo appellatur. Aliud est enim peccare, aliud peccandi consuetudinem facere. Qui peccat et continuo corrigitur, cito reviviscit: quia nondum est implicatus consuetudine, non est sepultus. Qui autem peccare consuevit, sepultus est, et bene de illo dicitur, *foetet*: incipit enim habere pessimam famam, tamquam odorem teterrimum. Tales sunt omnes assueti sceleribus, perditis moribus. Dicis ei, Noli facere. Quando te audit quem terra sic premit, et tabe corrumpitur, et mole consuetudinis praegravatur? Nec ad ipsum tamen resuscitandum minor fuit virtus Christi. Novimus, vidimus, quotidie videmus homines pessima consuetudine permutata vivere melius, quam vivunt qui reprehendebant. Detestaberis hominem: ecce ipsa soror Lazari (si tamen ipsa est, quae pedes Domini unxit unguento, et tersit capillis suis quos laverat lacrymis) melius suscitata est quam frater eius: de magna malae consuetudinis mole est liberata. Erat enim famosa peccatrix, et de illa dictum est: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (LUC. VII, 47). Videmus multos, novimus multos: nemo desperet, nemo de se praesumat. Et desperare malum est, et de se praesumere. Sic noli desperare, ut eligas de quo debeas praesumere.

2273

Ergo et Lazarum Dominus suscitavit. Audistis qualem, id est, quid significet Lazari resurrectio. Legamus itaque iam; et quoniam multa in hac lectione manifesta sunt, expositionem in singulis non quaeramus, ut necessaria pertractemus. *Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariae et Marthae sororum eius.* In superiore lectione meministis, quod Dominus exiit de manibus eorum, qui lapidare illum voverant, et discessit trans Iordanem,

ubi Ioannes baptizabat. Ibi ergo Domino constituto, infirmabatur in Bethania Lazarus, quod castellum erat proximum Ierosolymis.

2274

*Maria autem erat quae unxit Dominum unguento et extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes* (IOANN. XI, 2, 3). Iam intelligimus quo miserunt, ubi erat Dominus; quoniam absens erat, trans Iordanem scilicet. Miserunt ad Dominum nuntiantes quod aegrotaret frater earum: ut si dignaretur veniret, et eum ab aegritudine liberaret. Ille distulit sanare, ut posset resuscitare. Quid ergo renunciaverunt sorores eius? *Domine, ecce quem amas, infirmatur.* Non dixerunt, Veni: amanti enim tantummodo nunciandum fuit. Non ausae sunt dicere, Veni et sana; non ausae sunt dicere, Ibi iube, et hic fiet. Cur enim non et istae, si fides illius centurionis inde laudatur? Ait enim: *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus* (MATTH. VIII, 8). Nihil horum istae, sed tantummodo: *Domine, ecce quem amas, infirmatur.* Sufficit ut novetur; non enim amas, et deseris. Dicit aliquis: Quomodo per Lazarum peccator significabatur et a Domino sic amabatur? Audiatur eadem: *Non veni vocare iustos, sed peccatores* (Ibid. IX, 13). Si enim peccatores Deus non amaret, de coelo ad terras non descenderet.

2275

Audiens autem Iesus, dixit eis: *Infirmus haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei* (IOANN. XI, 4). Talis glorificatio ipsis non ipsum auxit, sed nobis profuit. Hoc ergo ait, *Non est ad mortem*, quia et ipsa mors non erat ad mortem, sed potius ad miraculum, quo facto crederent homines in Christum, et vitarent veram mortem. Sane videte, quemadmodum tamquam